


Städtische Realschule zu Stettin.

Holzschnitt u. Druck v. Susenbeth & Kruse, Stettin. gez. Lotze.

Programm

der

Städtischen Realschule zu Stettin

Ostern 1882.

Inhalt:

Stettin 1882.
Druck von F. Hessenland.

1882. Progr. No. 126.

De Theognide eiusque fragmentis in Stobaei florilegio servatis.

Carminum elegiacorum, quae olim quanto in honore fuerint quam lateque floruerint cum veterum scriptorum testimonia tradunt tum viri docti uno omnes ore consentiunt, hodie fere nihil nisi fragmenta exstare magnopere dolendum est. Cuius carminum generis cum ne unum quidem integrum atque incolume ad nostram permansisse videatur aetatem, non defuerunt virorum doctorum studia id spectantia, ut ex fragmentis illis in codicibus discerptis et apud scriptores dispersis integri carminis elegiaci speciem et formam restituerent. Sed disiecti membra poëtae sanare et reficere cum interdum difficillimum sit, ut integrum inde corpus colligas atque restituas, vix fieri poterit. Deficiente enim integrae elegiae exemplo, ex quo plane intellegi possit, quales fuerint elegiae et qua arte compositae, res illa ad liquidum non explorabitur. Itaque quantumcumque habet delectationis in quaestionem illam difficillimam inquirere, tamen qui denuo experietur novi inde et certi aliquid exquirere, is satis in hac re effecisse videbitur, si unum alterumve locum sanaverit.

Unde autem factum esse credis, ut tam tristem quasi et desolatum aspectum praebeant pleraeque elegiarum reliquiae, cum, ut alia omittam, tragoediarum quidem haud exiguus numerus bene atque integre ad nostram aetatem servatus sit? Cuius rei causa nescio an inde potissimum repetenda sit, quod iam antiquis temporibus singula ex totis operibus collecta carmina maximeque insignia excerpta et eorum anthologiae ortae sunt. Atque primum quidem viri docti antiqui in legendis poëtarum (et scriptorum) operibus occupati locos excerpserunt electos, quorum sententiae notatu eis dignae viderentur. Veluti Socratem eiusque amicos monumentis litterarum vetustioribus ita deditos fuisse narrat Xenophon [1]), ut in legendo illi versati, ubi locum egregium invenissent, hunc exscriberent. [2]) Ita cum initio viri docti collectiones ad suum ipsorum usum compararent et componerent, post exstitere, qui aliorum usui excerperent atque colligerent. Neque eos defuisse, qui poëtarum

[1]) Mem. I 6, 14: *τοὺς θησαυροὺς τῶν πάλαι σοφῶν ἀνδρῶν, οὓς ἐκεῖνοι κατέλιπον ἐν βιβλίοις γράψαντες, ἀνελίττων κοινῇ σὺν τοῖς φίλοις διέρχομαι, καὶ ἄν τι ὁρῶ μὲν ἀγαθόν, ἐκλεγόμεθα.* cfr. Bergk, Geschichte der griech. Literatur I p. 219, ubi adnotat inprimis de poëtarum et philosophorum operibus cogitandum esse, quibus Socrates usus sit.

[2]) cfr. etiam Xenophon Mem. IV 2, 1: *καταμαθὼν γὰρ Εὐθύδημον τὸν καλὸν γράμματα πολλὰ συνειλεγμένον ποιητῶν τε καὶ σοφιστῶν τῶν εὐδοκιμωτάτων κτλ.*

carmina commentarentur et de eorum sententiis disputarent et philosopharentur, satis constat. Atque Antisthenem quidem, Socratis discipulum, hoc functum esse munere ex Diog. Laert. VI 15 compertum habemus. Varias autem rationes eos, qui seligendis carminum locis vel capitibus operam darent, secutos esse, pro certo sumere possumus. Atque aliis fortasse magis placebant singula praecepta ad vitam bene beateque instituendam composita, aliis loci ad rem publicam spectantes, aliis carmina convivalia et potoria, quae separatim in unum congererent libellum, alii denique ex omnibus poëtae alicuius operibus summarium composuerunt, ut variorum carminum huius poëtae specimen atque exemplar in promptu haberent.

Eiusmodi collectiones ex clarissimis poëtis factas esse Platonis [1] quidam docet locus a viris doctis saepe laudatus et excussus. Iam vero cum res eo progressa esset, posterioris aetatis homines in eo non constiterunt. Collectiones enim illae cum usui atque iudicio hominum postea minus convenirent atque maiore fortasse circuitu constitutae essent quam quae ad legendum idoneae esse viderentur, complures syllogae diversorum poëtarum variorumque argumentorum in unum opus redactae sunt. Cum autem maxime in scholarum usum eiusmodi collectiones conficerentur, grammaticos vel ludorum magistros eis potissimum poëtis operam navavisse consentaneum est, qui in fingendis carminibus didascalicam sive praeceptivam poësin inprimis coluerint atque, ut Xenophontis utar verbis, de virtute hominum scripserint et pravitate. [2] Pueros enim iam antiquitus in litterarum ludis sententias summorum scriptorum et poëtarum edidicisse ipsi veteres memoriae produnt. Cuius rei testem affero locum ex Aeschine (c. Ctesiph. p. 525 ed. Reiske) sumptum: *Διὰ τοῦτο γὰρ οἶμαι ἡμᾶς παῖδας ὄντας, τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν, ἵν' ἄνδρες ὄντες αὐτοῖς χρώμεθα.*

Atque hodie una prae ceteris exstat collectio confecta ex optimis totius antiquitatis poëtis, qui elegiacis condendis carminibus laudem maximam sibi paraverunt, sine dubio olim ea in usum scholarum composita, Theognidis nomine insignita.

Quam antiquitus ad instituendos pueros usurpatam esse etiam inde apparet, quod, ut memoria puerorum in ediscendis locis continuo sententiarum nexu non copulatis adiuvaretur, similibus verbis eam olim pertextam fuisse vestigia quaedam produnt. [3] Sed qualem paulatim fortunam experta sit illa collectio, cum in dissertatione mea ‚de syllogis Theognideis' inscripta (Argentorati 1868 edita) paulo fusius exponere studuerim, hoc loco repetere non in rem videtur esse.

---

[1]) De legg. VII 810 E.

[2]) Xenoph. (?) loco apud Stob. Flor. LXXXVIII 14 servato: *οὗτος ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται, ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων κτλ.*

[3]) Filo quodam rubro vocabulorum olim pertexta fuisse fragmenta Theognidea diserte docuit Nietzschius in Mus. Rhen. Nov. XXII p. 161 sqq., quocum ex parte congruit Fritzschius in Philol. vol. XXIX p. 526—546, haec fere disputans: Cum complures fragmentorum quasi ordines aut sententiarum nexu aut vocabulo illo communi inter se cohaerere non negari possit, anthologiam Theognideam non ab uno auctore, qui fragmenta ad vocabuli illius normam revocaret compositam, sed ex compluribus anthologiis conflatam esse censet, quarum unam, quae maxime videretur adhibita, ita ut fragmenta communi illo vocabulo essent conexae, adornatam conicit.

Hoc unum tamen velim teneas. Supra de una tantum sylloga locutus sum Theognidea. Re autem vera duas collectiones [1]) adhuc superesse, quae Theognidis nomine circumferuntur, in eodem libello supra commemorato demonstrare studui. Qua de re quae ibi accuratius exposui, cum plerisque non absurda esse videantur, hic quam brevissime complectar.

Distinguendi igitur sunt:

1) duo grammatici vel viri docti antiqui, quorum uterque ex poëtis Graecorum elegiacis anthologiam condidit; harum anthologiarum

  a) una hodie superest servata multo maiore parte libri Theognideorum primi, sed fortasse in fine ideo mutilata, quia in eo huius anthologiae exemplo, unde archetypus codicum, qui hodieque supersunt, descriptus est, ultima folia perierant;

  b) altera hodie superest servata minore parte libri Theognideorum primi (i. e. exitu eius libri), sed fortasse in initio ideo mutilata, quia in eo huius anthologiae exemplo, unde archetypus codicum, qui hodieque supersunt, descriptus est, prima folia perierant.

2) librarius recentior, qui anthologiam ‚a' in fine mutilatam et anthologiam ‚b' in initio mutilatam ita consuit, ut duos et eos diversos libros in unum se coniunxisse ignoraret. Inde archetypus codicum, quotquot supersunt, omnium originem duxit. [2])

Totus libri Theognideorum primi codex archetypus mille ducentos duodequinquaginta versus comprehendebat, ex quibus nongenti fere ad anthologiam priorem, trecenti fere ad posteriorem pertinebant. Praeter versus enim mille ducentos duodeviginti, quibus liber Theognideorum primus in editione Bergkiana constat, codices manuscripti duodequadraginta versus tradunt, qui quia repetiti leguntur, ab editoribus typis non exprimuntur. Ut autem liberius de posterioris libri fatis iudicium fieri possit, optandum est, ut in novis fragmentorum Theognideorum editionibus parandis etiam ei versus typis exscribantur, qui in codicibus repetiti leguntur. In posteriore enim hac sylloga a nobis constituta fidelius Theognideam carminum formam plerumque retinuisse eum qui eam adornaverit, et Bergkius [3]) monuit et nos [4]) recensendis illis versibus iterum positis accuratius docuisse putamus.

Librum igitur Theognideorum primum (vv. 1—1220 [5]) apud Bergkium) ex duabus anthologiis elegiacis, quae olim prorsus separatim circumlatae essent, temere a librario archetypi codicum, quoquot hodie supersunt, omnium conglutinatum esse suspicati sumus. Eae autem syllogae, quae

---

[1]) Agitur de collectione in codicibus manuscriptis ‚*Θεόγνιδος ἐλεγείων α'*' inscripta. ‚*Ἐλεγείων B'*' qui inscribitur librum plane abiudicandum esse a Theognidé viri docti omnes fere consentiunt.

[2]) cfr. dissertationis meae p. 11, 17; p. 20 quae infra 1) adnotavi; p. 32. — Non pauca me debere Studemundo, praeceptori meo in scholis de Theognide Argentorati habitis, quae de hac quaestione nuper protuli, hic quoque pio gratoque erga eum animo denuo profiteor. —

[3]) cfr. quae Bergkius ad Theognidis v. 209 sq. adnotavit.

[4]) in dissertatione mea p. 19—28.

[5]) Accuratius dixerim usque ad v. 1218, cum vv. 1158. 1159 a Turnebo primum ex Stobaeo XCI 26 inserti sint.

antiquitus ex ipsis Theognidis elegiis excerptae sunt, plane alia fuerunt forma atque conditione atque eae, quae hodie in codicibus leguntur.[1] Cum enim iam pridem ex ipso poëta anthologiae conderentur, facile fieri potuit ut genuina eius carmina paulatim in oblivionem venirent et plane evanescerent. Itaque cum ex collectionibus congererentur collectiones et digererentur, deteriores usque eas fieri necesse fuit. Ita fere originem syllogarum Theognidearum adhuc exstantium coniectura assequi possumus.

Quae syllogae, qua nunc sunt forma atque specie, Juliani et Cyrilli fere tempore i. e. medio fere quinto p. Chr. n. saeculo compositae videntur esse.[2] Atque proximus illi testis, ex quo ad quaestionem de aetate earum instituendam certiora quaedam colligi possunt, adest Joannes Stobaeus. Ex cuius florilegio quae ad crisin Theognideam promovendam pertinerent quamquam iam Bergkius[3]) Nietzschius[4] alii subtiliter collegerunt, tamen cum non pauca deprehenderimus a doctis illis viris nondum recte constituta, denuo rem pro viribus nostris tractare conabimur.

Atque primum quidem quis fuerit et qua aetate vixerit Stobaeus etsi non satis liquet, tamen exeunte saeculo quinto et ineunte sexto floruisse videtur.[5] Hoc igitur tempore amplam illam collectionem comparavit ex quingentis fere scriptoribus congestam. Scripsit florilegium, quod vulgo dicitur, in usum filii sui, eiusque operis quattuor libros confecit. Quisque liber divisus est in aliquot capita, quae ex sententia, quam eis inesse vellet florilegii auctor, inscripta sunt. His capitibus sive titulis inserti sunt loci ex scriptoribus omnis generis excussi, quibus sententia illa illustraretur. Certus quidam ordo neque capitum neque locorum ex scriptoribus excerptorum cognosci potest, immo ordo plerumque fortuitus et locorum quaedam disparilitas videtur adesse. Itaque qua ratione totum florilegii corpus comparatum sit, haud facile invenies..

Quo autem modo cogitandus sit Stobaeus opus suum effecisse? Iam pridem viros doctos sibi excerpsisse locos scriptorum insignitos supra vidimus. Compluribus igitur excussis libris, cum is qui collectionem parare in animo habebat quosdam locos invenisset ad eandem sententiam pertinentes, inde singula capita constituit iisque, quotiescumque in legendo versabatur, sententias idem spectantes adscripsit, novisque locorum generibus, ubi quaeque referret, quaesitis atque inventis et aliis usque scriptoribus exhaustis totum quasi collectionis corpus condidit.

Tali fere ratione Stobaeum florilegium suum composuisse non improbabiliter conieceris. Verumtamen cum ex quingentis circiter scriptoribus locos in anthologia eius exhaustos inveniamus, tot scriptoribus legendis excerpendis recensendis immensum eum opus effecisse summamque industriam adhibuisse, maioremque laborem suscepisse, quam pro unius hominis viribus, ea praesertim aetate, credi possit, non iniuria dixeris. Et re vera non ex ipsis scriptoribus, quorum sententias profert,

---

[1]) cfr. dissertationem meam p. 29 sqq.

[2]) Accuratius de aetate syll. Theogn. egi in diss. mea p. 31 sq.

[3]) In Mus. Rhen. Nov. III. p. 206 sqq. et p. 396 sqq.

[4]) Ibid XXII p. 162 sqq.

[5]) cfr. ed. Gaisfordianae praef. p. I sq.

hausisse, sed multa, quae iam ab aliis collecta erant, libro suo videtur inseruisse Stobaeus. Sed quemadmodum florilegiis iam antea conditis usus sit ad suum instituendum non facile eruere potes, cum ipsos scriptorum fontes omnino eum repudiasse non contendas. Quamquam sunt, qui ex inaequalitate lemmatum „ea in re posita, quod modo adscriptum sit et libri nomen et scriptoris, modo illo praetermisso hoc tantum positum sit“, repetiverint, „in manibus fuisse Stobaeo duo florilegia, ita quidem inter se discrepantia, ut, cum alterum integra lemmata articulis praemitteret, alterum adponeret nihil nisi auctoris nomen“. Huic sententiae a Bernhardto (in dissertatione sua ‚Quaestiones Stobenses‘ inscripta)[1]) prolatae[2]) atque acriter defensae recte adversatur Nietzschius (in Mus. Rhen. Nov. vol. XXII)[3]), qui cum omnino duo modo lemmatum genera cogitari possint aut integra aut spuria, ex hac lemmatum varietate concludendum esse negat duo florilegia a Stobaeo in unum esse redacta. Accedere quod Stobaeo opus tanti circuitus moliente parum dignum videatur, qui tam misello functus sit artificio, ut duo florilegia in unum conscriberet[4]).

Quibus causis a Nietzschio allatis cum Bernhardti sententia minus comprobabilis esse videatur, Bernhardtus[5]) ipse argumentum quoddam profert, quo ea, quae de origine florilegii Stobensis statuit, paulum infringuntur. Democriti enim sententias neque ex florilegio I, quod vocat, neque ex florilegio II, sed ex collectione quadam dictorum Democriteorum desumptas esse conicit atque vix dici posse, Epicharmea utrum e florilegio II, an ex ipsa collectione hauserit Stobaeus. Itaque si verum est duo illum florilegia exhausisse, praeter ea etiam alios fontes sibi aperuisse, quos in suam rem converteret, cum Bernhardto statuimus neque dubitamus, quin et ipsos scriptores adierit florilegii auctor et anthologiis iam ante, tum ab ipso fortasse, tum ab aliis conditis usus sit.

Aliud quo Bernhardti sententia ad irritum redigatur hoc est. Quod enim dicit vir doctus l. l. p. 11 ‚quod ad sententias attinet, nullum animadvertimus discerni posse discrimen inter utrumque florilegium intercedens, cum in utroque omnes fere poëtae recurrerent‘ id potius mihi confirmare videtur, Stobaeum non duo tantum florilegia conscripsisse, sed ipsum ex propriis fontibus bibisse. Etenim cum ‚inter utrumque florilegium nullum discrimen in sententiis adlegatis intercederet‘, sane mirandum esset, duos florilegiorum auctores suo quisque usui scribentes in eo consensisse, ut ex omnibus poëtis aeque colligerent.

Exceptis igitur aliis syllogis, quas excerpsit Stobaeus, Theognideas sibi vindicavit exhauriendas. Neque enim ullas alias syllogas eum habuisse cognitas nisi duas illas, ex quibus ‚liber primus‘ Theognideorum hodie constat, easque ipsas ad florilegium condendum usurpasse, Bergkius[6]) ex eo conclusit, quod primum Stobaeus versus nonnullos, quos Solonis esse certo scimus, et qui in nostris

[1]) Bonnae 1861.

[2]) In libro supra laudato p. 9 sqq.

[3]) p. 184.

[4]) Conferas velim iudicium quod tulit Gesnerus, vir doctissimus, in ep. nuncupatoria (in ed. Gaisf. p. VI sq.) de ingenio et laboris assiduitate Stobaei admirabili. Summis eum laudibus onerat.

[5]) l. l. p. 13.

[6]) In Mus. Rh. Nov. III p. 396, sqq.

syllogis Theognideis leguntur, ‚Θεόγνιδος' lemmate insignitos exhibeat, deinde quod et interpretationes et calami errores ex librariorum licentia effecti eidem apud Stobaeum inveniantur, quod denique ordo versuum et fragmentorum a Stobaeo institutus plerumque congruat cum nostris syllogis. Haec argumenta a Bergkio prolata tam gravia sunt, ut non facile ad Bernhardti coniecturas redeas, qui ad suam stabiliendam sententiam — nam de Theognideis reticet vir doctus — non in manibus fuisse Stobaeo nostras syllogas Theognideas (aut uno volumine conscriptas aut in duos libros digestas) sed eas iam partes fuisse maioris collectionis ab alio epitomatore comparatae contendit.

Itaque cum Bergkio consentimus, cuius de hac re iudicium eo minus sequi dubitamus, quod alio quodam argumento nescio an confirmetur. Etenim cum Stobaeus omnes locos ex Theognideis syllogis deprомptos aut eodem lemmate „Θεόγνιδος" significaverit aut, ubi complura deinceps fragmenta eius exhibet, „τοῦ αὐτοῦ" lemma singulis partibus praefixerit, — quam significationem paucis locis deesse librariorum vitio tribuimus — inde florilegii auctorem duas illas syllogas non separatas legisse, sed iam in unum libellum coartatas coniectura haud improbabili auguramur. Syllogae igitur Theognideae iam in unum conflatae erant librum ea aetate qua scripsit Stobaeus, quem, si ex duobus separatim circumlatis florilegiis Theognideis collegisset, haec fere lemmata usurpaturum fuisse verisimile est: „Θεόγνιδος ἐκ τοῦ ά τῶν ἐλεγείων" sive „ἐκ τοῦ τῶν ἐλεγείων β'". Similiter enim, ubi complures eiusdem rei et auctoris libri, quos exhausit, exstabant, Stobaeum fecisse multi loci in florilegio allati docent.

Sed his relictis quaestionibus, in quibus solvendis coniecturis abstinere nequeamus, priusquam ipsa fragmenta Theognidea in Stobaei florilegio servata contemplamur, pauca quaedam videntur esse praemonenda.

Ac de codicibus quidem haec profero. Ut igitur antiquissimus et optimus syllogarum Theognidearum liber manuscriptus Mutinensis A ad decimum vel undecimum saeculum referendus est, ita florilegii Stobensis codex A Vindobonensis eadem et aetate et praestantia insignis est. De quo Schowius [1] (in ed. Gaisf. p. LVII. sq.): „Ad alteram, inquit, (i. e. sententias pleniores exhibentem) codicum manuscriptorum classem pertinent egregius ille cod. Vindobonensis . . . scriptus circa finem saeculi decimi: codices huius generis admodum rari sunt, nec similem adhuc inveni . . ." Hunc codicem Gaisfordus, [2] cuius utor editione florilegii Stobensis, quamquam ipse non excussit, eius tamen lectiones communicat ex libro Trincavelli [3] typis expresso haustas. Subsidio autem Gaisfordo fuerunt in comparanda editione duo maxime libri manuscripti, de quibus in praef. p. IV. sq. haec fere tradit: A codex ms. Bibliothecae Regiae Parisiensis, . . . saec. XIII. teste catalogi auctore, mea autem sententia non ante saec. XIV. exaratus. Hic codex omnium, quotquot usurpare mihi contigit, optimus est et absolutissimus. B codex eiusdem bibliothecae, recentissimus, saec. XVI. medio fere

---

[1] Schowii editio, cuius lectiones interdum communicat Bergkius, prodiit Lipsiae 1797.

[2] Ionnis Stobaei Florilegium ad manuscriptorum fidem emendavit et supplevit Thomas Gaisford. Oxonii 1822.

[3] Graece primum lucem vidit Stob. Flor. edente Victore Trincavello. Venet. 1536 IV.

exaratus. Id certissimum est, non paucas ex eis lectionibus, quae aliunde haud innotescunt, exscriptoris ingenio deberi non raro se criticum profitentis.“ Ex antiquioribus quoque florilegii editionibus fructum quendam ad crisin Stobensem promovendam recepit Gaisfordus Trincavelliana, de qua supra dixi, Gesneriana [1]) Grotiana [2]) aliis adhibitis.

His fere aliisque subsidiis comparatis cum Gaisfordus editionem suam ornaverit, nos, quid ad singulos locos recensendos ex codicibus repeti possit auxilii, angustioribus finibus circumscribentes, eos potissimum adhibebimus, qui optimi esse videantur. Itaque ubi lectiones librorum manuscriptorum Stobensium discrepant ab eis, quas in codicibus Theognidis exaratas invenimus, a parte Theognidis codex Mutinensis A et editio Bergkiana, [3]) a Stobaei parte editio Gaisfordiana codicesque A Vindobensis (A Vind.) et A Parisiensis (A Par.) inprimis in contentionis iudicium a nobis vocabuntur.

Adhuc sub iudice lis est, utrum Stobaeus melioris notae codicem an deteriorem quam Mutinensem usurpaverit. Atque Bergkio [4]) quidem qui Stobaeum codice corruptelis pleno usum esse existimat, Nietzschius [5]) repugnat, qui, cum Stobaeus collectiones Theognideas exscripserit paulo demum ante ortas, quam florilegium condiderit, meliora eum plerumque praebere contendit. Quas enim apud eum variatas inveniremus lectiones, ipsius auctoris ingenio plerumque esse procreatas pluribus docuit exemplis. Stobaeum denique codice paulo integriore atque pleniore usum esse ex eo apparet, quod nonnullos versus, qui in codicibus nostris Theognideis non iam exarati sunt, in florilegio suo servavit. Distichon enim (vv. 1157. 1158), quod si deesset, totus sententiarum conexus interrumperetur, ex Stobaeo Vinetus demum nostrae farragini inseruit. Ex eodem auctore tria alia ad finem primi, qui in codicibus legitur, elegiarum libri addiderunt editores.

Ordinem et versuum et fragmentorum plerumque congruere cum nostris syllogis supra commemoravimus. Duobus quidem locis versuum digerendorum ratio aliquantum variata est in florilegio. Atque versus quidem Theognidis 175—180 apud Stobaeum in capite XCV (14. 15. 16.), quod inscriptum est ‚πενίας ψόγος‘, discerpti exstant atque hoc fere ordine dispositi sunt. Distichon igitur **177. 178.** sine lemmate adiungitur versibus 649—652 (14), hos versus sequuntur praefixo ‚Θεόγνιδος‘ lemmate [6]) vv. 155—158 et **179. 180** (15), quos denique addito Theognidis nomine vv. **175. 176** (16) excipiunt. Bergkius hanc discrepantem versuum dispositionem diasceuastae cuidam tribuit, qui sententias apud Theognidem minus apte cohaerentes melius adornare studuerit. Stobaeum enim

---

[1]) Editio Gesneri Tiguri 1543. ‚Is nullo usus codice ms . . . innumera tamen loca restituit collatis scriptoribus, qui a Stobaeo laudantur, versusque melius digessit.‘

[2]) Dicta Poëtarum, quae . . . in Florilegio Stobaeus affert, recensuit ad MSS. codd. fidem vir summus H. Grotius, et elegantissimis versibus Latinis reddita edidit Paris. 1623. IV. cfr. Praef. in ed. Gaisf. p. II sq.

[3]) P. L. Gr. ed. III.

[4]) In Mus. Rhen. Nov. III. p. 396 sqq.

[5]) Ibid. XXII p. 186.

[6]) Apud Trincavellum A lemmata desunt in flor. cap. XCV 15. 16, quae in cod. A saepius omissa esse librariis tribuendum erit.

ipsum loco XIV 16 non solum distichon 175. 176 inseruisse videri, sed etiam addidisse versus 177—180 postea demum aliquo modo diremptos. Sed alias quoque in florilegio ea, quae apud scriptores continuo se excipiunt, aut casu aut consulto alio ordine collocata sunt.[1]) Ac ne nostro quidem loco certum fieri potest iudicium, unde varietas illa orta sit, nisi forte lemmata quaedam apud Stobaeum excidisse statueris et ante versus 177. 178 et ante distichon 179. 180 cogitanda. Disticha enim illa, cum suam quodque per se sententiam haberet, non inepte disiungi eoque modo quo significavimus exscribi potuerunt.

Similiter alio loco apud Stobaeum versuum ordo perturbatus est. In capite enim XCI ,ἔπαινος πλούτου' inscripto primum affert versus **523. 524,** tum longioris fragmenti priora disticha versus 699—703 excerpit, quibus omisso Theognidis nomine adicit versus **525. 526.** Longioris autem illius fragmenti 699—718 ultimos versus 717. 718, cum aptam per se sententiam exprimant, solvit eosque paulo post XCI 10 praemisso Theognidis nomine exhibet. Quaerenti, qua ratione haec perturbatio nata sit, alia alii respondebunt. Mihi quidem fragmenta illa, quae apud Theognidem coniuncta leguntur, consulto apud Stobaeum videntur dirempta esse.

His exceptis locis fragmentorum ordo apud Stobaeum idem reperitur atque in syllogis Theognideis.

Restat ut contemplemur singula fragmenta in utraque collectione excussa. Qua in re eos scilicet versus Theognideos, quos Stobaeus non ex ipso auctore sed ex scriptoribus illos versus laudantibus exhausit, in disputationem non deducemus. Ceterorum autem Theognidis fragmentorum apud Stobaeum traditorum tres secernendae erunt classes.

Atque primum quidem legitur apud eum haud exiguus versuum numerus, qui aut non variati aut levi tantum variatione exscripti sunt. His in unum conspectum allatis discrepantes lectiones[2]) addemus earumque, quoad iudicium fieri potest, causas hic illic paucis adumbrabimus.

Alteram classem segregamus deinde eiusmodi dictorum, quorum vera et genuina forma, cum in proverbiorum fere usum olim videantur abiisse, vix erui poterit. Itaque quae huic classi adnumeranda erunt, colligemus paucisque verbis ornabimus.

Subsistemus denique paulisper in recensendis eis versibus, qui in Stobaei florilegio non sine insigni quadam lectionis discrepantia leguntur.

---

[1]) Cfr. e. g. Stob. Flor. LI 1 et LI 5 et Bergkium in PLGr. II p. 401.

[2]) Lectionum variarum minutias librariorum aperte erroribus ortas et hic et in proximis plerumque praetermittimus.

Ad verbum igitur descripti aut leviter variati sunt versus:

apud Theognidem	apud Stobaeum
131—132	in cap. LXXIX 1
132 ἔπλετο, τοῖς (cod. οἷς) ὁσίη, Κύρνε, μέμηλε δίκη.[1]	ἔπλεθ', ὅσοις ὁσίοις — δίκης *A*, ceteri codd. ὅσοις ὁσίης κτλ.
315—318	in cap. I 16 (hic locus deest in libro Trinc. A.)
316 ἀλλ' ἡμεῖς τούτοις οὐ διαμειψόμεθα[2]	τούτων
425—428	in cap. CXX 4
425 πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον[3]	ἀρχήν
457—460	in cap. LXXI 2
459 ἀποῤῥήξα σα.	ἀποῤῥήξασαι (A Trinc.)
479—486	in cap. XVIII 14
503—508	in cap. XVIII 17
504 ἀτὰρ γλώσσης οὐκέτ' ἐγὼ ταμίης.	ἀτὰρ γνώμης οὐκέτ' ἐγὼ ταμὶν
505 ἡμετέρης.	ὑμετέρης sive ὁμετέρης (cfr. Leutsch in Philol. XXIX 673).
526—527	in cap. CXVI 11
535—536	in cap. LXII 36[5]

[1]) Pentametri 132 lectio ideo apud Stobaeum videtur incerta fluere, quod in margine codicis, quem exscripsit, appositum erat ὁσίης-δίκης, quam structuram verbum μέλει admittere constat. Dicitur enim et μέλει τινί τι et μέλει τινί τινος. Apud Theognidem alium locum, quo huius verbi constructio demonstretur, non invenio nisi v. 612, ubi δειλοῖς ταῦτα μέλει. Cum Homerus ubique μέλει μοι τι usurpet, etiam Theognidi hanc verbi structuram vindicamus, ita ut pentameter 132 sic scribendus sit:

ἔπλεθ' ὅσοις ὁσίη, Κύρνε, μέμηλε δίκη.

[2]) Lectio Stobaei τούτων ex correctura in textum videtur irrepsisse; verbum enim διαμείβεσθαι plerumque coniungitur cum genetivo. Cfr. Kühner, griech. Gramm. II 1 p. 320 6. Tamen dativi formam τούτοις, quam exhibent libri Theognidei, fulcit Plutarchi auctoritas, qui, ubi hunc versum 316 laudat, αὐτοῖς utitur. Cfr. in PLGr. II p. 427, quae Bergkius ad fragm. 15 adnotavit.

[3]) Versibus 425 sqq. antecedit apud Stobaeum distichon lemmate ‚ἐκ τοῦ Χαλκιδάμαντος Μουσίου' insigne ἀρχὴν — περῆσαι omisso pentametro μηδ' — ἠελίου. Initium igitur illius distichi respiciens librarius quisquis fuit pro πάντων etiam altero loco ἀρχὴν scripsit.

[4]) ἀποῤῥήξασαι, quod referendum esset ad ἄγκυραι, typographi vitio tribuendum est.

[5]) Per errorem apud Bergkium LXV 36 exscriptum est.

apud Theognidem	apud Stobaeum
605—606	in cap. XVIII 10
606 πλεῖον ἔχειν ἔθελον[6]) *A* πλέον.	πλεῦν' ἐθέλουσιν ἔχειν
607—610	in cap. XII 17
617—618	in cap. XCVIII 55
619—622 [7])	in cap. XCVII 15
620 ἄκρην γὰρ πενίης	ἄκρην γὰρ πενίην
621 ἀτίει	οὐ τίει (*A*) ex glossemate.
625—626	in cap. XXXIV 13
627—628	in cap. XVIII 11
in utroque versu αἰσχρόν	in utroque versu ἐχθρόν *A* Trinc.
629—630	in cap. LII 12
635—636	in cap. XXXVII 17
637—638	in cap. CX 11
649—652	in cap. XCVI 14
651 αἰσχρὰ δέ μ' οὐκ ἐθέλοντα βίῃ καὶ πολλὰ διδάσκεις.	κακὰ [8])
653—654	in cap. CIII 12

---

[6]) Verborum ordo, qualis apud Stobaeum reperitur, quamquam usui Theognideo (cfr. vv. 614, 698, 446) magis consentire videtur, tamen formae Stobensi πλεῦν' alias nisi fallor in Theognideis non occurrimus. Eum qui hanc formam πλεῦν' in textum recepit, πλέον, quod etiam Mutinensis exhibet, legisse verisimile est. Quod cum propter leges metricas ferri nequiret, πλεῦν' correxit verborumque ordinem commutavit.

[7]) De his versibus 619—620 accuratius egi in diss. mea. p. 27.

[8]) Locus variis coniecturis temptatus est. Cfr. quae Bergkius ad versum 651 sq. adnotavit. Stobaei vestigia secutus Bergkius κατὰ πολλὰ διδάσκεις scripsit, speciosa quidem coniectura, sed nullo exemplo probata. *Καί*, quod Theognidis codices praebent, sensu caret. Sed nescio, cur Bergkius Stobaei lectionem non comprobaverit. Quam si tenemus, loci sensus hic est: (v. 651) ‚eum qui turpia repudiat, vi multa mala doces.' Immo corruptus videtur esse versus insequens 652, cui medelam afferre non possum.

	apud Theognidem	apud Stobaeum
	665—666	in cap. CVI 9
666	καὶ τιμῆς καὶ κακὸς ὢν ἔλαχεν.	τις (sed om. *A* Trinc.)
	683—686	in cap. XCII 9
686	εἴργει γὰρ τοὺς μὲν χρήματα, τοὺς δὲ νόος	τοὺς μὲν δὴ [9])
	693—694	in cap. IV. 45
694	γνῶναι γὰρ χαλεπὸν μέτρον ὅτ' ἐσθλὰ παρῇ	παῦρον (i. e. καιρὸν Bergkius) [10])
	695—696	in cap. XIX 11
695	Οὐ δύναμαί σοι, θυμέ, παρασχεῖν ἄρμενα πάντα.	παρέχειν, quod metri causa ferri nequit.
696	οὔτι σὺ μοῦνος ἐρᾷς.	οὐχί (*A* οὐ)
	699—703	in cap. XCI 2
699	πλήθει δ'ἀνθρώπων.	πᾶσιν δ'ἀνθρώποις [11])
701	μὲν ἔχοις.	τις ἔχοι
702	εἰδείης.	εἰδείη
	717—718	in cap. XCI 10
717	πάντας γνώμην ταύτῃ.	ταύτην γνώμην πάντας
	719—728	in cap. XCVII 7
719	ὅτῳ	ὅσοις (ex interpretatione)
721	τὰ δέοντα.	τάδε πάντα (item)
	865—868	in cap. CVI 10

---

9) Particulae γάρ μέν δή ἀλλά δέ τοί aliae saepius a diasceuastis inter se commutatae sunt. Maxime autem in initiis fragmentorum hoc factum videmus esse, ubi, ut sola per se efficeretur sententia, primum particula abiciebatur tum autem, ut sententiarum conexus restitueretur, alius aliam particulam immisit. Genuina igitur antiqui poëtae forma his locis raro cognosci poterit.

10) Vocabulum παῦρον, quod in v. 694 Stobaeus usurpat, non intellego neque scio, unde in textum irrepserit. Lectio autem Theognidea μέτρον et sententiam bene reddit et eodem sensu apud Theognidem reperitur in v. 614.

11) Exordia enuntiatorum saepius a diasceuastis non sententia sed verbis paulum immutata sunt. In versu igitur 699 pro πλήθει δ' ἀνθρώπων, quod scribenti non sufficere videretur, πᾶσιν δ' ἀνθρώποις ad sententiam acuendam infixum est. Sed cum in fine longioris illius fragmenti vv. 699—718 apud Theognidem iterum legatur (in v. 719) . . . πλοῦτος πλείστην π ᾶ σ ι ν ἔχει δύναμιν, quem locum paulo post Stobaeum exscripsisse supra p. 8 demonstravimus, Stobaeum potius rectum servasse conicimus in initio exhibentem: πᾶσιν δ' ἀνθρώποις. Tum autem paululum variati leguntur versus insequentes 701—702. Florilegii enim concinnator cum totum, quod apud Theognidem inveniebat, fragmentum exscribere nollet, ut ad sententiae generalis formam redigeret, facile emendavit pro μὲν ἔχοις-τις ἔχοι, quare etiam insequens (v. 702) εἰδείης in εἰδείη commutandum erat.

apud Theognidem	apud Stobaeum
947—948	in cap. XXXIX 15
948 *τρέψας.* [12]	*πρέψας*
963—968	in cap. III 28
964 *ὀργὴν καὶ ῥυθμὸν κνὶ τρόπον ὅστις ἂν ᾖ.*	*θυμὸν ὅντιν' ἔχει* [13]
1029—1034	in cap. CXXIV 9
1032 *ὄχθει* (*A ἔχθει*) *μηδ' ἄχθου* (*A ἔχθει*).	*αὔχει μηδ' αἴσχεα*
1034 *οὐκ ἂν.*	*ἃ οὐ* [14]
1061—1062	in cap. CXVII 9
1129—1132	in cap. CXVI 10
1129 *ἐμπίομαι, πενίης θυμοφθόρου οὐ μελεδαίνω* [15]	*οὐδὲ* sive *οὔτε γε, μήν* — *οὐ* om.

[12] Prima littera mutata apud Theognidem in v. 948 (*ἐπι*)*τρέψας*, apud Stobaeum (*ἐπι*)-*πρέψας* legitur. Illum si sequimur, hanc sententiam habemus versuum 947—948: ‚Patriam ornabo . . . neque plebi me permittens neque iniustis viris obsecutus'; hunc si amplectimur: ‚Patriam ornabo . . . neque inter plebem excellens neque . . .' Illam lectionem *ἐπιτρέψας* genuinam esse atque Theognide, optimatium fautore, dignam facile mihi concedes. Verba autem *ἐπιτρέπειν* et *ἐπιπρέπειν*, quod facillime fieri potuit, in codicibus saepius inter se commutari constat. Conferas velim Xen. Cyr. 7, 5, 83, *ἔπειτα τῇ εὐδαιμονίᾳ φήσει τις τὴν κακίαν ἐπιπρέπειν;* quo loco codices quidam male praebent *ἐπιτρέπειν*.

[13] In versu 964 utrum *ῥυθμὸν* an *θυμὸν* scribendum sit, nemo facile decernet. Alterum (*θυμὸν*) ad declarandum alterum (*ῥυθμὸν*) in margine poni potuit, unde in textum receptum est. Quod in eodem versu 964 apud Theognidem legitur *ὅστις ἂν ᾖ*, a consuetudine antiqui poëtae videtur abhorrere. Formula enim *ὀργὴν ἥντιν' ἕκαστος ἔχει* saepissime utitur, cfr. vv. 214, 312, 898, 1016, cum illa *ὅστις ἂν ᾖ* apud eum alibi non legatur. Itaque Stobaeum meliora servasse opinor cum scriberet: . . . *ὅντιν' ἔχει*. In cod. A. Trinc. *ὅντιν' ἔχουσι* neglectis legibus metricis ideo exaratum est, quod antecedentis versus 963 verba *ἄνδρα σαφηνέως* (apud Bergkium) in eodem codice ita legebantur *ἄνδρας ἀφανέως*. Cfr. Coniectan. Crit. ed. F. G. Schneidewin p. 92.

[14] Versum 1032 in codicibus corruptum legi variae virorum doctorum produnt coniecturae, quas in editione collocatas invenis ad h. v. Iam Stobaei tempore hunc locum labem contraxisse opinor, cum ea, quae florilegii auctor tradit, *αὔχει μηδ' αἴσχεα* sensum non praebeant. Singulae quidem huius lectionis literae cum non multum recedant ab eis, quae apud Theognidem exstant (*ἔχθει A*, *ἄχθει O*; vulgo *ἄχθου*), etiam ea coniectura maxime probanda erit, quae ad vestigia codicum sensu immutato proxime accedet. Itaque aut Bergkium sequimur aut Geelium, qui *ἄχθου μηδ' ἄχθει* proposuit. Eiusdem fragmenti versus 1034 initio leviter variatus est *ἃ οὐ* pro *οὐκ ἄν*, quod breviator sententiam incohatam disticho 1035—1036 ablato perscribere noluit.

[15] Pessimam esse lectionem Stobensem in v. 1129 Bergkius et Nietzschius consentiunt. Cuius rei causam non codici, quem exscripsit, tribuendam esse, sed ipsi florilegii auctori Nietzschius l. l. p. 186 scite monuit. Stobaeus enim cum hos versus honesti aliquid monere vellet, alienum

	apud Theognidem	apud Stobaeum
	1135	in cap. CX 12
	1153—1156	in cap. CIII 14
	1157—1160	in cap. XCI 26
1160	*θυμὸν δ'οὐ δύναται τελέσαι.*[16])	*χορέσαι.*
	1163—1164	in cap. III 19
1163	*ὀφθαλμοὶ καὶ γλῶσσα καὶ οὔατα καὶ νόος*	
	ἀνδρῶν	*ἀνδρὸς*
1164	*ἐν μέσσῳ στηθέων ἐν συνετοῖς φύεται.*[17])	*εὐξύνετος*

Iam paululum commoremur in contemplandis alterius, quam supra constituimus, classis versibus, quos olim in proverbiorum consuetudinem venisse non improbabiliter conicimus.

Atque primum quidem eis adnumerandum est hoc distichon:

255 *Κάλλιστον τὸ δικαιότατον, λῷστον δ'ὑγιαίνειν*
256 *πρῆγμα δὲ τερπνότατον, τοῦ τις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν,*

cuius lectio apud Stobaeum CIII 8 plane discrepat. Ibi in hexametro habes: *ῥᾷστον θ'ὑγ.*, A Vind. *ῥᾷστον δ'ἐσθ'ὑγ.*, *B ῥᾷστον δ'ὑγ*; pentameter autem ita fluit:

ἥδιστον δὲ τυχεῖν (B δ'εὐτυχεῖν) ὧν τις ἕκαστος ἐρᾷ.

Quod distichon cum antiquitus Deli in Apollinis templo vel in donario aliquo inscriptum fuerit, Bergkius Theognidi abiudicat. Quae dicta in templo illo inscripta celeberrima fuisse totique Graeciae innotuisse constat. Itaque cum in omnium ore versarentur, factum est, ut mature germana forma obscuraretur, neque mirum est, idem distichon apud alios scriptores aliter legi. Qua de re vide apud Bergkium, quae ad vv. 255. 256 adnotavit. Cfr. etiam F. G. Schneidewini Simonidis Cei rel. p. 54. Genuina igitur talium dictorum forma restitui non poterit. Qui enim in legendis aut excerpendis carminibus versabatur, ubi eiusmodi sententiam expressam invenit, ex memoriae latebris facile deprompsit eam formam, quam animo infixam habebat eamque margini adscripsit. Ita fere varias talium locorum lectiones ortas esse putamus.

---

esse censuit, quod laudaret Theognis *ἐμπίεσθαι* i. e. mentem vino obruere. Verbo igitur *ἐμπίομαι* e textu remoto Stobaeus inseruit inanes illas particulas *οὐδέ* (*οὔτε*) *γε μήν*, quae vocabulorum coniunctio alibi nusquam, nisi egregie fallor, in litteris graecis occurit. Negatione autem *οὔτε γε μήν* initio versus 1129 infixa consectarium fuit, ut *οὐ* illud, quod recte suum locum habet apud Theognidem, apud Stobaeum deleretur.

[16]) *Κορέσαι* in fine pentametri 1160 apud Stobaeum traditum non inepte in textum recipi possit, quod bene respondeat versui praeeunti 1158 *ὑπερκορέσαις*. Accedit quod totus hic locus in codicibus Theognideis minus fideliter servatus est, ut in dissertatione nostra p. 19 coniecimus.

[17]) Etiam in versu 1164 Stobaeus non multum a vero videtur aberrasse *εὐξύνετος* exhibens, unde Bergkius et item Hartungus, recte ut videtur, *εὐξυνέτοις* scribendum esse coniecerunt.

Eidem classi attribuo distichon:

331 *῞Ησυχος, ὥςπερ ἐγώ, μέσσην ὁδὸν ἔρχεο ποσσίν,*
332 *μηδ᾽ἑτέροισι διδούς, Κύρνε, τὰ τῶν ἑτέρων,*

